

56A. Republicans vs. Caesarians, page 1 (SB page 37)

Line numbers are keyed to the vocabulary lists in the Student's Book.

- 1 Fugātus Antōnius,
 āmissō exercitū,
cōnfūgit ad Lepidum,
 quī Caesarī magister equitum fuerat et tum mīlitum cōpiās grandēs habēbat,
2 ā quō susceptus est.

Mox,

- 3 Lepidō operam dante,
Caesar pācem cum Antōniō fēcit
et
 quasi vindicātūrus patris suī mortem,
4 ā quō per testāmentum fuerat adoptātus,
 Rōmam cum exercitū profectus
5 extorsit
 ut sibi vicēsimo annō cōsulātus darētur.

Senātum prōscrīpsit,
cum Antōniō ac Lepidō rem pūblicam armīs tenēre coepit.

- 6 Per hōs etiam Cicerō ōrātor occīsus est multīque aliī nōbilēs.

56A, page 2 (SB page 39)

- 8 Intereā Brūtus et Cassius, interfectōrēs Caesaris, ingēns bellum mōvērunt.
- 9 Erant enim per Macedoniam et Orientem multī exercitūs,
quōs occupāverant.
- 10 Profectī sunt igitur contrā eōs Caesar Octāviānus Augustus et M. Antōnius;
remānserat enim ad dēfendendam Italiam Lepidus.
- 11 Apud Philippōs, Macedoniae urbem, contrā eōs pugnāvērunt.
- Prīmō proeliō victī sunt Antōnius et Caesar,
- 12 periit tamen dux nōbilitātis Cassius;
- 13 secundō Brūtum et īfinītam nōbilitātem,
quae cum illīs bellum gesserat,
victam interfēcērunt.
- 14 Ac sīc inter eōs dīvīsa est rēs pūblica,
ut Augustus Hispāniās, Galliās et Italiam tenēret,
- 15 Antōnius Asiam, Pontum, Orientem.
- 16 Sed in Italiā L. Antōnius cōnsul bellum cīvīle commōvit, frāter eius,
quī cum Caesare contrā Brūtum et Cassium dīmīcāverat.
- 17 Is apud Perusiam, Tusciae cīvītātem, victus et captus est, neque occīsus.

56B. Antony vs. Octavian, page 1 (SB page 41)

1 Eō tempore M. Agrippa in Aquitāniā rem prōsperē gessit
et L. Ventidius Bassus

2 irrumpentēs in Syriam
Persās tribus proeliīs vīcit.

Pacorum, rēgis Orōdis filium, interfēcit eō ipsō diē

3 quō ōlim Orōdēs, Persārum rēx, a per ducem Surēnam a Crassum occīderat.

4 Hic prīmus dē Parthīs iūstissimum triumphum Rōmae ēgit.

Antōnius,

quī Asiam et Orientem tenēbat,

5 repudiātā sorōre Caesaris Augustī Octāviānī,

6 Cleopatram, rēgīnam Aegyptī, dūxit uxōrem.

Contrā Persās etiam ipse pugnāvit.

Prīmīs eōs proeliīs vīcit,

7 regrediēns tamen famē et pestilentīā labōrāvit

et,

8 cum īstārent Parthī fugientī,

ipse prō victō recessit.

56B, page 2 (SB page 43)

- 9 Hic quoque ingēns bellum cīvile commōvit
cōgente uxōre Cleopatrā, rēgīnā Aegyptī,
- 10 dum cupiditāte muliebrī optat etiam in urbe rēgnāre.
- 11 Victus est ab Augustō nāvālī pugnā clārā et illūstrī apud Actium,
quī locus in Ēpirō est,
ex quā fūgit in Aegyptum
et
- 12 dēspērātīs rēbus,
cum omnēs ad Augustum trānsīrent,
ipse sē interēmit.
- 13 Cleopatra sibi aspidem admīsit
et venēnō eius exstīncta est.
- 14 Aegyptus per Octāviānum Augustum imperiō Rōmānō adiecta est
praepositusque eī C. Cornēlius Gallus.
- 15 Hunc prīmum Aegyptus Rōmānum iūdicem habuit.